

*fos, nihil aliud est, quam fouere. Nec caret scrupulo societatis occultae, qui manifesto facinori desinit obuiare. Qui vero errantibus saltem contradicunt, vel nullas vel ineptas rationes opponunt, parum proficiunt, & bonam causam magis corrumpunt.*

2.) Secundum remedium in refutatione infidelium necessarium, est, vt opiniones & controuersiae, quas mouent infideles, sollicitè considerentur, cognoscantur, diiudicentur. Sic enim apti & instructi sumus ad eas solide refutandas. Veritates diuinae licet euidentés sint, ab impio tamen homine exigua scientia instructo possunt obscurari, & in dubium vocari, maxime coram simplicibus hominibus. Tali in casu necesse est, vt ministri ecclesiae eiusmodi opiniones rectè intelligant, si prolatas opiniones retundere & reiicere velint. Quod si omittatur, crescit impiorum hominum vanitas, qui sibi aliisque persuadent, se pollere prae aliis peculiari penetrationis dono, quo simpliciores animos attrahunt & decipiunt. Quiuis Christianus paratus esse debet semper ad defensionem omni, qui rationem spei, quae in nobis est, petit. I. Pet. III. v. 15. Quanto magis ecclesiae minister instructus & paratus esse debet ad refellenda ea, quibus spes nostrae salutis dubia & infirma redditur & obscuratur. In primis contradictiones, quas infideles in V. & N. Testamento inuenisse praetendunt, sunt considerandae & resoluendae. Pari modo obiectiones, quae contra S. Scripturae diuinam autoritatem proferuntur, & quae eandem falsitatis coarguunt, quales infideles hoc & praecedenti seculo varias mouerunt, sed etiam ab Ecclesiae ministris eruditissimis refutatae sunt, diligenter legendae